Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

linquit. Inde enim multitudo credentium in deum robustius stetit, unde ipsa humiliata trepidavit. Nam quia eum deus quem concutit tenet, insinuat per prophetam dicens: Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos? Quia eum quem concutit tenet, Salemone attestante nos instruit qui ait: Beatus vir qui semper est pavidus, qui autem mentis est dure corruet in malum. Igitur quia extrema iudee dominus in apostolis tenuit, atque ex illa scribas et phariseos ac pontifices impietatis sue merito exigente reprobavit, quid adhuc de eorum dampnatione subdatur audiamus. Sequitur: Restituetur ut lutum signaculum, et stabit sicut vestimentum. Quid aliud dominus plebem israheliticam nisi lutum repperit, quam obsequiis gentilium deditam in egypto servientem lateribus invenit? Quam diu tot miraculis ad terram repromissionis duxit, diu perductam cognitionis sue scientia implevit, cum tot archana secretorum ei per prophetiam contulit, quid eam aliud quam servandi mysterii signaculum fecit? Ipsa quippe diu in prophetia clausum continuit, quicquid de se veritas in fine revelavit; sed diu post tot divina secreta, post tot percepta miracula in redemptoris sui adventu plus terram quam veritatem dilexit per sacerdotes dicens: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem: quasi ad eos quos in egypto reliquerat lateres rediit, et que facta iam dei signaculum fuerat, ad hoc se iterum quod deseruerat inflexit, lutumque se post signaculum in oculis veritatis exhibuit. Cum pro impietatis malitia percepti ubi mysteria perdidit, et sola terrena sapere que inquinant elegit, ubi apte subiungitur: Et stabit sicut vestimentum inpolitum. Inpolita namque et grossiora vestimenta etiam cum induta fuerint, quia induentis membris bene applicata non

V. I. Quid sit restituetur ut lutum signaculum